

Q. 269. (2)

X 2223124

Z e
170

EPISTOLA

AD

VIRVM

MAXIME REVERENDVM ATQVE EXCEL-

LENTISSIMVM,

DOMINVM

CASPAREM SAGITTARIVM

S. S. THEOL. D. ET HISTORIARVM

P. P. CELEBERRIMVM,

QVA EI

DE

MVNERE HISTORICI SAXONICI

gratulatur,

&


INCIPIENTIS ANNI AVSPICIA

FAVSTA AC FORTVNATA

esse jubet

M. GODOFREDVS VOCKERODT.

LITTERIS NISIANIS.



EST OLA

AD

M. V. M.

GENUINE REPRODUCTION OF THE RECEIPT

1. 1. 1. 1. 1. 1.

D. O. M. I. N. V. M.

REPRODUCTION OF THE RECEIPT

2. 2. 2. 2. 2. 2.

P. P. P. P. P. P.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

REPRODUCTION OF THE RECEIPT

1. 1. 1. 1. 1. 1.

REPRODUCTION OF THE RECEIPT

1. 1. 1. 1. 1. 1.

M. GODDARD'S BOOKS

1. 1. 1. 1. 1. 1.



VIR MAXIME REVERENDE
ATQVE EXCELLENTISSIME,
PATRONE SVMME,

Reipublicæ interest, temporum & factorum notitiam ad posteritatis memoriam extare. Agnoscunt illud, qui erga genus humanum melius affecti sunt, quam ut extra omnem humanitatem projectum cupiant, sine lege, sine republica ignobilem vitam ferarum ritu transacturum. Absque ea enim si foret, carendum nobis esset artibus & scientiis omnibus, divinis humanisque institutis, quæ inde tanquam ex matrice fœcundissima orta sunt, foventur & subinde læta incrementa capiunt: nec multo melior futura fuisset conditio nostra, quam viventium ignobiliorum, sensu & ratione carentium. Qui tanta vitæ humanæ pretia mortalibus assererent, nullo ævo defuerunt: nec facile natio ulla isto beneficio fraudare sustinuit posteros. Barbari Americani ex filamentis ad eventorum insigniorum indolem complicatis nodos effingere, rerum præteritarum qualescunque indices. Antiquissimis temporibus, inter scriptoriæ artis rudimenta, saxis, lateribus, æri, obeliscis, tanquam duraturis monumentis experimenta, post genitorum cognitione digna, concedita sunt. Testor fidem lapidum literatorum, quorum veteres meminerunt, & forte nonnulla rudera supersunt. Verum enim vero optimum consilium eventu frustratum est, postquam durissima æris materia, victa vetustatis injuria, sensum amisit, lineamentis vel ruina confusis, vel tempestate oblitteratis, vel flamma deprædante familiares rerum notas. In archivis tutior videri poterat memoriæ custodia, consecratis sub jurata fide asservandis ad posterorum usum actis publicis, juratarum possessionum titulis, & quicquid domi forisque fuerat memorabile. Tantæ rei rite curandæ apud Ægyptios & Romanos sacerdotes præfectos legimus, ut major esset sub religiosiis testibus fides. Sed quid tam insigni studio effectum sit, infelicissimis experimentis cognitum est. Sacratissima enim monumenta iisdem fatorum ludibriis, quibus ipsa imperia

ria obnoxia, ne minimum sui vestigium nobis reliquissent, nisi HISTORIA laciniis disiectis iniecisset curiosas manus, & ex hominum memoria sub æternas tenebras relapsuris commodasset stylum ære perenniorem. Huicuni debemus, quæcunque veteris sapientiæ instituta ad nos pervenerunt. Obfuit heroicis temporibus historiæ ruditas, successitque longus fabularum contextus, sub quo inusitatarum virtutum exempla imitaturis irrita facta sunt: nullum enim est dubium, plures, quos virtus singularis evexerat ultra sortem vulgarem, coluissimus tanquam SEMONES, nisi eos fabulosa superstitio prostituisset. Tot præclarissimarum rerum jacturam solantur, quæ supersunt, veteris historiæ reliquiæ, moribus jam tum inclinatis consignatæ, & pro tanto seculorum intervallo exiguæ: nisi forte singularis providentia subtraxit, quæ ingenium humanum prægravatura fuissent, ut saltem extaret, quantum sciri oporteret, non quantum ex universa mundi ætate posset, ne plus videretur prodegisse, quam ab humano ingenio queat capi. Verum quæcunque fuerit vel futura sit istius providentiæ ratio, culpa nostra posteritati damno esse non debet. Quin potius ex infelici illustrium hominum conditione, qui sine scriptore inglorii decesserunt, præsentis ævi & HEROVM patriæ nostræ fortunam metiri æquum est, nec pati, ut per ignaviam nostram tantarum virtutum gloria cum vita eorum extinguatur. In antiqua historia, e vetustis monumentis eruderanda, nemo æquus nostris hominibus desidiæ obijciat: quanta in ea re doctorum hominum superiore ævo contentio? excussa, pervestigata, vulgata sunt omnia, quæ paulo majoris momenti videbantur. Verum qui isto beneficio cum immortalis gloria conjuncto patriam afficerent, inventi sunt pauciores, sive fastidio rerum domesticarum, morbo civibus nostris familiari, sive difficultate rei prohibiti. Quam decuisset e vetustis scriptoribus, solis rectæ sapientiæ & eloquentiæ magistris idoneis, studia transferre ad res vernaculas illustrandas, mentemque & stylum veteris disciplinæ colore tinctum inferre patriæ historiæ justis monumentis condendæ? Pauci, quos æquus amavit, id tentarunt in partibus nonnullis ea industria exponendis, quorum laus nunquam intermoritura est. Fuerunt etiam, quos
non

non tam ausus impiger, nec facultas idonea destitueret, quam magnatum gratia, in aperiendis archivis minus, quam par erat, propitia: imo sæpe ignavorum monachorum inhumanitas honestis conatibus obstitit, sub quorum manibus sunt illa gestarum rerum monumenta dicam, an sepulchra? Quare negata publicorum documentorum copia, sine quibus in isto genere nihil efficere licet, generosa multorum industria subsidit in obviis veterum scriptis, maluitque minus utile quam profus nihil agere, secuta de posterorum judiciis, cum, quicquid hic peccatur, aliena culpa peccatur. Gravissima querela est Iohannis Philippi Voorburgii, Præpositi monasterii grandis val-
lis, consiliarii Moguntini & Herbipolensis, qui in *Vita* sua a se scripta ægre fert, *a principibus, imprimis ecclesiasticis, non estimari, quando ex documentis situ & pulvere obsitis, & forsan nunquam lucem aspecturis, sed inter tineas & blattas tandem perituris notitias quasdam petat: veluti archivia ipsorum perpetua futura, & tot imperiorum, ex quibus nullum amplius archivium extat, & pro his sola historia defectum supplere debet, sortem nequaquam subitura essent.* Alia mens sedet SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, SALANAE ACADEMIAE NVTRITORIBVS, qui inusitata animi magnitudine nihil unquam in se cohibitum esse voluerunt, quod ad decus publicum & posteritatis fructum pertineret. Tantum abest, ut DIVINI HEROES sufflaminent laudabiles conatus, in patriæ gloriam sempiternam paratos, ut potius inflamment excitentque doctorum hominum studia, imo amplissimis honoribus remunerentur, qui animum, peritiam, iudicandi dicendique facultatem, legitima tanti operis præsidia, ad patriam ornandam & ad posteros demerendos afferunt. Fuere infesta virtutibus tempora, quibus magnæ alicujus virtutis memoriam prodere non modo ineptum, sed & capitale fuit recte facta laudantibus. Scilicet diffidebant venturi ævi judiciis, quibus demta adulatione, & emtis laudationibus in fumum abeuntibus, obnoxiam famam dictitabat scelerum conscientia: rati turpitudinem suam latebras inventuram sublato laudandarum vituperandarumq; rerum discrimine cum oblitterata ex ævo suo virtutis memoria. His non modo acerba, sed & terribilis erat

*H. Meibom.
Introd. in
Hist. Saxon.
p. 90.*

postèritatis commemoratio, quæ SAXONICIS HEROIBVS est
jucundissima, imo ad spem immortalitatis rapit, nihil sibi con-
scios, in cujus judicium non æquo animo admittant post ge-
nitos. Quare de se scribi facile patiuntur, bonæ conscientia
pretio ducti: qui si, qua sunt animi magnitudine, præclaro-
rum factorum fructum in conscientia, quam in fama & veni-
entium seculorum prædicatione reponere malint, exorandi
nobis essent, ut majorum & sua exempla perfectissimas virtu-
tes imitaturis posteris non inviderent. Quod facile ab iis
impetrabimus, quibus non est timendum, ut quisquam non
potius fiduciam morum quam arrogantiam arbitretur, super-
esse gloriæ suæ, & currentem scriptis de se libris per orbem
terrarum famam vitæ actu comprobare. Sed ne divinæ lau-
des impari scribentium ingenio detererentur, valde intererat,
quis earum apud posteros præco constitueretur? Non raro
inepta scriptoris indoles gloriæ illorum, quos laudandos su-
scepit, fraudi fuit. Alexander, orbis terrarum domitor, Homeri
Thersites, quam Chœrili Achilles esse malebat. Labis enim
semel adpersæ, nulla postea emendatione eluendæ, exempla ex
medio imprimis ævo prostant. Pronior ea in re lapsus, quam
excusator culpa. Clarorum virorum facta moresque poste-
ris tradere, nihil est præstantius, imo ab ipsa factorum gloria
propius abest: quia semel facta, & forte altera ætate ex ho-
minum memoria elapsura efficit æterna. Sed nihil etiam ma-
gis arduum est: versandum in omnes partes ingenium exerci-
tatum, induendus liber spiritus par factis, quæ exprimere stu-
des, recto insistendum judicio citra gratiam, citra ambitio-
nem. Exaggerato magnarum artium & virtutum omnium
præsidiis animo sit oportet, qui tanta momenta cum laude
sustinere & rite exsequi velit. Hinc cogitari potest dignitas
an difficultas major MVNERIS HISTORICI, & HISTORICI
SAXONICI, & hoc præsertim florentissimo literarum statu.
Cui itaque SERENISSIMI PRINCIPES tanti muneris partes
demandarent, diu quærendus fuisset, nec facile inveniendus
par animo & viribus, nisi jam tum paratus & quasi provifus
fuisset, VIR MAXIME REVERENDVS ATQVE EXCELLEN-
TISSIMVS, CASPAR SAGITTARIVS, THEOLOGVS ET
HI-

HISTORICVS SVMMVS, SECVLI NOSTRI ORNAMENTVM. Patere VIR EXCELLENTISSIME, ut SAXONICI HISTORICI momenta omnia TIBI asseram, quæ in TE sita esse agnoverunt SERENISSIMI SAXONIAE DVCES, quorum in TE eligendo iudicium comprobat eruditorum applausus. Possides summas istas virtutes sine labe, sine contagio. Quas voces si modestia accipere abnuat, appello meritorum TVORVM fiduciam, appello orbis eruditi consensum, cui publicatis ingenii monumentis, quid virtutibus TVIS debeatur, dudum mirifice approbasti. Non enim in sublimi & illustri loco, collata muneris dignitate, TE posuerunt PRINCIPES SERENISSIMI, ut specimina muneris primum a TE expectarent: vulgo enim iudicari solet, meruerit quis honorem, postquam est adeptus; sed ut edita dudum cum immortalis nominis TVI gloria digna TE, & TE loco, clementissimi suffragii honore declararent. Iampridem enim proprio sed generoso ratu excitus, quod paulo ante inter historici vernaculi decora posuimus, ex peruestigatis excussisque veterum monumentis pedem gloriosum retuleras ad illustrandam Germaniæ historiam, in qua TE eo usque progressum obstupuerunt rerum domesticarum studiosi, antequam ingressum senserunt, pro vectum improbi laboris comite acri iudicio ultra, quam qui in ea re vitæ dies posuerunt. Adeo interest veterem sapientiam tanquam decus & robur ad nobile ingenii opus excudendum ascivisse. Prius itaque fuisti, quam esses electus HISTORICVS SAXONICVS. Id vero agebatur, cum nuper SERENISSIMI PRINCIPES ministeria TVA, patriæ splendori, gentis gloriæ & posteritatis usibus destinata, publica & summa dignitate honorata esse voluerunt, ut esset, cui famæ ad venientia secula prorogandæ spes concrederetur. Quam etsi sine collatis publici muneris insignibus nunquam destituisset, ut manifestior tamen esset CLEMENTIAE effectus, CELSISSIMI HEROES spontaneum TVVM affectum & præclaros conatus publici honoris præmio remunerari voluerunt. Quod nisi sponte suscepisset, sensisset ejus recusandi ademptam TIBI libertatem eruditorum consensu concordi, qui tacitis votis TE ad hoc munus dudum designaverant, quia extra TE vix quemquam tanto negotio parem recte credide-

diderunt. Dedisses posteris istius officii a TE cum indignatione requirendi causam. Ecce enim historiae Saxonicae ingens opus, quisquis attigerit, nisi plenus artibus, quae in TE sitae sunt, sub onere labetur. Habent heroica tempora & antiqua secula virtutum omnium exempla, sed posteritati nonnunquam parum profutura; quare ut religiose perscripta extarent, non multum intererat. At vero alia temporum nostrorum ratio est, quibus SAXONVM virtus vicit ac supergressa est sortem vulgarem. Deus PRINCIPIBUS nostris immiserat mentem parem a se plusquam humanis, ut exulem evangelii veritatem orbi senescenti redderent, & publicorum atque antiqua superstitione adulatorum vitiorum se offerrent averruncos. Adversus gravissimos orbis terrarum motus, in negotio ancipiti & summa animorum trepidatione reliquorum omnium, soli consistere immoti; nec metus, nec minae, nec dignitatum ditiorumque jactura frangere animos, nec ulla terrestrium rerum pretia dimovere ab incepto DIVINOS HEROAS, pro libertate & religione spiritum impendere paratos. Tantorum factorum titulos, dudum fastis insertos, diducere in perfectissimarum virtutum exemplum, rerumque gestarum magnitudinem verbis exaequare, quantae molis erit? Ex propiore & nostro aëvo ERNESTORVM pietas, BERNHARDORVM fortitudo, FRIDERICORVM magnanimitas & clementia incredibilis, WILHELMORVM prudentia singularis, imo omnium laudum admirabilis in singulis concordia & concentus, quas partim sermonibus frequentamus, partim oculis usurpamus, non solum nostri, sed & venturorum seculorum decora, imo aeternitatis pignora data sunt. Posterius enim non modo per quos parta, sed & per quos conservata & aucta est patriae & orbis Christiani felicitas, scire desiderabunt. Tot tantosque HEROAS, qui iustis monumentis immortalitati asserere velit, quam excellentibus ingenii dotibus succinctum esse decet? TVIS vero auspiciis, VIR MAXIME REVERENDE, cur tam augusti operis rite exsequendi spes imprimis despondeatur, causis addicam necessariis & audacter dicam. Neque enim invidia timenda est apud eos, qui norunt, quibus rationibus ad scribendum accesseris; est enim alia aliorum, alia TVI muneris conditio. Non mentiar, si naturam liberaliorem fuisse dicam, dum
omnia

omnia ornamenta in TE abunde contulit, quibus ad scribendam perfectam historiam opus est. Patiar alios esse historicos, & summos, & rerum Germanicarum; at historicum Saxonicum esse, vix ulli præterquam TIBI concessum est. Ad hoc enim, sicut ad summum in unaquaque virtute, nascendi conditio, vis insita, peculiaris vitæ ratio & magistri idonei TIBI duces fuerunt. Genitus PARENTE, qui ad verum decus enitenti & præceptor & exemplum esse potuit. Non possum tacitus præterire singulares viri illius, B. PATRIS TVI, laudes, quia fructus earum non exiguus ad me pervenit. Non solum enim TIBI, cui parens, sed & pluribus aliis ad rectiora studia dux & autor datus erat, cum adhuc Brunsvigæ Gymnasii Martiniani Rectorem ageret, & antequam Luneburgi ad sacra munera admotus erat. Confluebat tunc ingens juvenum manus ex multis Germaniæ partibus ad Gymnasium illud, tanquam ad emporium artium & elegantioris doctrinæ florentissimum, inter quos honoris causa nomino Christophorum Scribonium, Archidiaconum in patria mea, virum religiosæ imprimis pietatis & doctrinæ laude ornatissimum, qui mihi admodum juveni summas B. Parentis TVI virtutes sæpe prædicabat, nunc crebrioribus literis prædicare non desinit. Cui ego tantum, quantum Ille PATRI TVO, me debere libenter agnosco & gratus profiteor. Effecitque hæc, si ita vocare liceat, studiorum cognatio, ut summa animi veneratione a pluribus annis SAGITTARIORVM nomen suspexerim, & quamprimum licuit, inter virtutum Tuarum admiratores, majori observantia TIBI conjunctos, locum deposcerim, quem inusitata Tua humanitate mihi semel concessum, tuebor in posterum omni industria & fide. Verum plures habuisti enitendi altius opportunitates. Multis contigit non modo Bangerti & Conringii magisterio, sed & Maderi amicitia cum fructu uti, paucis usurpare familiarius tanta Germaniæ lumina, TIBI uni hæere in eorum contubernio, Germanicæ historiæ discere arcana, edita & inedita in bibliothecis monumenta versare manu curiosa dies noctesque. Erat in factis, ut lumen ingenii Tui orbi universo ostenderes, quare maturæ virtutis fama difficulter intra augustissimæ licet patriæ fines se continuit, quæ nominis TVI gloriæ terminos orbem terrarum & æternitatem dudum designaverat. Exinde in Holsatorum

B

ma-

magnatum notitiam pertractus, Kiloniensis Academiae luminibus sine dubio confertus fuisses, nisi nostris terris magis propitia fortuna TE IN SALANAE VNIVERSITATIS ORNAMENTVM reservasset. Hunc fatorum ordinem nec invidia turbare, nec livoris, qui felicitati nostrae insidias struebat, validae fatis vires ad perficiendum quod optabat. TV vero inclytae hujus Academiae sinu receptus patriam putasti, non ubi natus, sed ubi prodesse posses, ad quod TE natum esse semper existimasti. Cives vero non loco discrevisti; sed qui ornari a TE possent, in civium numero habuisti. Neque enim proprium esse debebat, quod datum universis: quid enim non est commune, quod natura optimum fecit? Compositis itaque professorii muneris rationibus omnem ejus conatum ad Germanicam historiam exornandam convertisti; sed praeterquam patriae Tuae & SERENISSIMORVM BRUNSVICO LVNEBURGENSIVM DVCVM, Saxoniae nostrae potissimam rationem habendam duxisti, quod in ea majora momenta posteritatis cognitione digna deprehendebas. Ardebat animus Spalatini, Fabricii & Hortleleri consecrari vestigia, qui non exiguam Saxonicae historiae lucem, genti gloriam, sibi honorem affuderunt. Sed horum diligentiam TE non solum levi opera assecuturum, sed etiam longe superaturum augurabantur, qui non ignorabant, quanto majora ad id perficiendum TIBI praesto sint praesidia. B. Bosius quantus vir? aeternum Ienensis Academiae decus nihil sibi deesse patiebatur, quod in literis esset elegans, rarum & curiosum. At TV hujus ut stationi ita & thoro & cimeliis omnibus successisti, auctus cum uxore, omnibus virtutibus ornatissima, & ob id summe a TE amata & post fata aestimata, incomparabili numismatum thesauro, MSS Reinesianis & vario melioris notae apparatu literario. Praeterea affuit Deus honestissimis votis pro Saxoniae & speciatim Thuringiae historia illustranda conceptis, & ex improvise tot illustria documenta ad antiquum harum terrarum statum, urbium origines, jura, immunitates, privilegia, dominiorum distinctiones & circa has enatas lites, quae immani & temporis & sumtuum impendio absque iis protrahendae fuissent, feliciter componendas pertinentia submitit, qualia ante TE vidit nemo, nec spes fuit, amplius superesse. Adeo non obscurum, divino nutu TE ad hoc munus
ele-

electum, ut Thuringiam pristino splendori restitueres, & ditio-
nes SERENISSIMORVM DVCVM SAXONIAE, & aliorum dy-
nastarum ac statuum perpetuæ tranquillitati immortalibus scri-
ptis assereres. Non memorabo infinitas privatorum operas, qui
temporum suorum memoriæ posteris prodendæ rationem ha-
buerunt, quas indefesso studio conquisivisti, & ab interitu vindi-
casti. Qui obstetricem operam Tibi, vel potius patriæ bono,
præstiterunt, nunquam officii pœnitebit, cum nomina sua TE in-
terprete æternitatis fastis inserta legent. Manifestiora al-
tioris providentiæ documenta visa sunt, cum per TE integra
archiva, e situ & squalore extracta, legitimo loco restituta
sunt. Loquor imprimis de archivo, quod inter tricennalis bel-
li tumultus, ut tutior ejus esset custodia Ienam translatum, & in
obscurum locum bibliothecæ publicæ rejectum est, ubi procul
omni dubio tineis & blattis debuisset ludibria, nunquam lucem
adspecturum, nisi diligentia TVA repertum thesaurum prodidis-
ses ei, cui nunc debebatur, SERENISSIMO SAXONIAE DVCE
FRIDERICO, qui non ita pridem Tonnessem dynastiam, ad
quam illud pertinebat, a Waldeccio comite emtam Ducatui Sa-
xo Gothano adjecerat. Quanta ex insperato repertæ rei essent
pretia, ex absentis desiderio cognosci potuit. Nec obscure tulit
SERENISSIMVS PRINCEPS, quam opportuna sibi esset istius
thesauri inventio, cum autorem apertis inusitatæ gratiæ indicis
clementissime prosequeretur. Qua etsi uti volebas, nisi ad ean-
dem pluribus & majoribus officiis demerendam, sensisti tamen
nuper NOVUM CLEMENTIAE effectum, cum PRINCEPS GLO-
RIOSISSIMVS amplissima SAXONICI HISTORICI dignitate
merita TVA honorata, & SERENITATIS SVÆ imaginem, auro
exsculptam & gemmis distinctam, serenato CLEMENTIAE radiis
pectori TVO apponi voluit, ut publica essent, & in omnium ocu-
lis versarentur CELSISSIMAE GRATIAE documenta. Ex quo
tempore liberalius patent usibus Tuis archiva & antiqua monu-
menta omnia, in quibus summa cum religione versaris. Tanta
est scribendi opportunitas, si honesta studia principum gratia ad-
juvantur. Similis fortuna TIBI Rembdæ alia omnia agenti va-
rias scripturas Glichenses, ad Rembdanam dynastiam potissi-
mum pertinentes, sed a canibus, felibus & muribus pessime habi-

tas objecit, quas Jenam transferri, & a sordibus purgari curavisti. Quas postquam in ordinem digestas excusseris diligentius, quomodo obscura momenta in Thuringica historia lucem accipient? Non possum vero a me impetrare, ut silentio involvam insigne beneficium, quo rem literariam & omnium bonorum mentes reddis ærarias. Multa maxima ingenia superioris seculi calamitas oppressit, & a prodenda posteris accuratiore temporis istius memoria continui motus, reformationem ecclesiarum consecuti, prohibuerunt. Inter hos generis nobilitate, eruditione & principum gratia florentissimus Johannes Dolscius, in publicis negotiis & obeundis legationibus diu versatus, rerum per Europam gestarum omnium interpretes & familiarium copiosissimas, & magnatum crebras literas habuit, quarum aliquot mille summo studio collegit, ut materiam sufficerent istorum temporum historiam scribentibus. Verum intempestiva mors, anno superioris seculi quinquagesimo primo, Lipsiæ in mercatu versantis viri vitam & una optima consilia intercepit: latuitque thesaurus hic literarius Salfeldiæ, per funestissimos bellorum intestinorum motus difficulter conservatus, usque ad hæc tempora, quibus TVIS, VIR MAXIME REVERENDE, auspiciis inventus cum Dolsciani nominis, multorum arcanorum temporis istius hætenus curiosissimis ignorata, notitia orbi redderetur. Non dubito, longe plura ejusmodi monumenta, hætenus cum blattis & tineis rixata, TE expectare vindicem, proditura in conspectum, si decentem a Tua eloquentia acceperint habitum. Quid enim effugere potuit curiosas manus, quibus principum gratia nihil est inaccessum, non archiva, non bibliothecæ, non privatorum scrinia? Qui nec sumtu, nec corporis viribus parcis, dummodo nihil posteris profuturum Tua culpa lateat. Nulla tam grata vulgaribus animis vitæ pretia, nec rei familiaris jactura, inter cœlibis vitæ post viduum torum incommoda, dimovere TE ab instituto possunt. Quid enim spectat cœlibatus Tuus, nisi ut TE totum sine interpellatione impenderes rei literariæ commodis, in quibus promovendis adeo e-vigilant curæ & cogitationes Tuæ, ut posteris, quas natura dedisset, carere malis, quam pati, ut communis posteritas minorem ex Tuis laboribus sentiret fructum? Hic unus cogi-
ta-

tationum, molitionum & consiliorum Tuorum seopus est, a quo nulla difficultate aut molestia objecta studia Tua pateris retardari. Maxima pars publicæ utilitati serviunt, quia utile, multi quia laudabile, Tu vero, quia sic agere honestum, & in eo sat magnum fructum situm putas, id semper agis, ritu stellarum in cœlo, quæ ideo lucent, ut luceant, sine alia affectatione & aspectu, nec ad utilitatem, nisi patriæ, rei literariæ & posterorum, nec ad gloriam, nisi Dei. Dudum enim fortuna Te supra pecuniæ & gloriæ cupiditatem constituit, qui sciebas, vitam ex sapientum consilio compositam ultra non indigere, quam quantum ad vitam honeste degendam satis est, & magnam famam insequentes fugere, sequi fugientes. Qua si fuisses delectatus, otiosus ea frui poteras, quæ tanta jam tum erat, ut major fieri vix posset. Quam enim terrarum partem æterna illa ingenii monumenta nominis Tui celebritate non impleverunt? Quod paulo elegantius & utilius literarum genus a doctissimis Tuis scriptis non accepit lucem? Vis consultissimam ad politioris literaturæ sacra viam? quis tutius & planius præcepto & exemplo eam monstravit, quam politissimæ commentationes de lectione & imitatione Plauti, Terentii, Ciceronis? Antiquæ gentium historiæ, multis difficultatibus obsessæ, studia quos delectant, doctissimæ in Iustinum exercitationes juvabunt. Amœniora antiquitatum selectiorum, imprimis sacrarum, capita cognoscere cupientibus serviunt cultissimæ scriptiones de Ianuis veterum, de Corona Iesu Christi spinea, de Rubra I. C. chlamyde, de Expositione infantum, de Martyrum cruciatibus in primitiva ecclesia, de Lancea, qua perfossum latus Iesu Christi, de Candida I. C. veste, de Flagellatione, de Oraculo Apollinis Delphico, de Nudipedalibus veterum, de Natalitiis martyrum. Ad morum doctrinam duæ rarioris argumenti dissertationes pertinent, altera de Tyranno, altera de Motibus heroicis, quæ cum imperio sunt. Quid memorem in sacra disciplina & asserenda evangelica veritate specimina? Harmoniæ historiæ passionis Iesu Christi insignes libri multorum commentariorum vicem præstant. Expertus est Schœnemannus, quam infirmum esset in *Armamentario* suo præsidium adversus *sagittas*, evangelica veritate tinctas? Historiæ impri-

mis Germanicæ facies, disiectis monumentis confusa, & obscuris
prolixisque commentariis horrida, quam pulchre enituit, post-
quam a Tua industria lucem & disciplinæ legem accepit, edi-
to elegantissimo libello, quem Nucleum Historiæ Germanicæ
inscripsisti. Quot singularia Germanicæ historiæ momenta
opera Tua eruderata, & justis voluminibus descripta sunt?
Iohannes Fridericus Elector Saxonæ, Marchiones ac Electo-
res Brandenburgici, Serenissimi Duces Brunsvico Luneburgici,
Principes Anhaltini, Marchiones Misniæ Eccardus I. & II, Il-
lustrissimi Comites Rutheni, singulares Tui Mæcenates. Ar-
chiepiscopatus Magdeburgicus, Episcopatus Numburgensis,
Westphalia, Marchia Soltwedelensis: civitates Saxonæ infe-
rioris præcipuæ, Bardevicum, olim illustre, nunc in ruderibus
jacens, Luneburgum, Halberstadium, Lubeca, Brunsvicum,
Rensburgum, Goslaria, & inter Germanicas civitates fere
princeps Norimberga. Thuringia vero nostra quot orna-
mentis a Tua industria honorata est? Dedignari cœpit ineptos
scriptores, qui hætenus ad ejus historiam ornandam, an de-
formandam accesserunt, postquam Tuis monumentis illustra-
ta est, epistola nempe Tua de antiquo Thuringiæ statu & lu-
culentis commentariis, altero de Antiquitatibus regni Thurin-
gici, altero de Antiquitatibus Gentilissimi & Christianissimi Thu-
ringici, quibus nuper accesserunt Antiquitates Ducatus Thu-
ringici. Superest Historia templi Ienensis Academici, ILLV-
STRI VIRO LYNCKERO dedicata, quam ideo non in reliquo-
rum librorum censu pono, quia, si deessent omnes, hic unus
virtutis Tuæ summæ, raræ pietatis & inusitatæ liberalitatis mo-
numentum æternum apud posteros extitisset. Non solum e-
nim **RECTORATVS TVI ACADEMICI** conatum omnem
in id convertebas, ut sacræ ædi miris modis deformatæ pristi-
na dignitas redderetur, laceræ fenestræ reficerentur, sedilia
nova fabricarentur, & omnia ad deentem cultum compo-
nerentur, sed & sacris matutinis inducendis, & singulis
Dominicis celebrandis, dux & autor fuisti. Sub finem supe-
rioris seculi Georgius Mylius, theologus summus, primus confi-
lio suo & auctoritate, auspiciis **SERENISSIMORVM SAXO-
NIAE DUCVM, FRIDERICI WILHELMI, IOHAN-**
NIS,

NIS, IOHANNIS CASIMIRI, ET IOHANNIS ERNE-
STI templum istud antiquo squalore fordidum expurgari, & e-
mendatis structuræ vitiis, academicis usibus aptum reddi cura-
vit. Vir in adversis, quæ eum per vitæ dies exercuerunt, nunquam
trepidus, ad audendum præclara animo, ad perficiendum confi-
lio & viribus instructus. Hujus TV, VIR MAXIME REVEREN-
DE, ausus imitatus, in reliquo vitæ actu similis factus es, dum simi-
liter adversus novercantis fortunæ impetum immotus invictus-
que in præclare agendi & gloriæ divinæ promovendæ proposito
persistis. Malignior fortuna, dum fata exasperat, ad ea fortius
sustinenda bonas mentes roborat, quas qui oppressum eunt, eri-
gunt altius. Deest nunquam, unde honestis ingeniis ægre fiat, &
egregii conatus suffocentur; sed paulo generosior animus, si
quid fecus ac meritis fuerat pati cogitur, ad suum emolumen-
tum convertit. Dedisti grande patientiæ documentum, cum jin-
ter medias ærumnas a deo non vitius es commoveri, ut & delectari
fortunæ acerbitate, tanquam ad majores ausus incitamento, vide-
reris. Verum enim vero tristium curarum finem elapsus annus
attulit, sub cuius terminalia sepultas sollicitudines abjicimus, aut
cum novo ad perferendum novas vires acquirimus. Ingredere
itaque VIR MAXIME REVERENDE, sub latioribus renascentis
anni auspiciis & amplissima NOVI MVNERIS dignitate, quem pres-
sisti hætenus laborum cursum, in unius Dei gloriam, patriæ splen-
dorem & posterorum utilitatem directum. Quem ne sinister
casus turbet, aut livor obsideat, ex animo omnes precantur, qui-
bus rei literariæ commoda cordi sunt. Quæ cum in festinatio-
re abitu Tuo non leve periculum aditura esset, ei & toti patriæ
feram TVI jacturam optamus. Ego vero, cur pro incolumitate
tua sollicitiora vota concipiam, causas habeo graves & singulares.
Non dubito meliorem appellare fortunam, & publica voce præ-
dicare, quæ me inter eos conseruit, quos amore Tuo complecte-
ris, foves, tueris, & pro quorum salute vigilantius excubas.
Hanc affectus Tui erga me fiduciam tot inusitata humanitatis
expressa documenta fecerunt, magnitudinem innumera bene-
ficiorum genera declararunt, ut de eo dubitare amplius ne-
queam, nec tam in eo augendo quam summa pietate retinendo,
laborandum mihi esse intelligam. Quicquid enim de volun-
tate

Ze 170

tate Tua dixerō minus erit, tantus est Tuorum erga me merito-
rum numerus, quem nulla prædicatione exprimere, vix cogi-
tatione assequi valeam. Impius sim, si, quos hæctenus in studiis
literarum feci progressus, quos tamen admodum exiguos esse
sentio, Te præcipuo duce, Te comite factos esse inficiet. Quic-
quid hucusque ingenii exercendi gratia suscepi, (ineptus enim
sim, si qualescunque conatus meos literarios alio, quam exerci-
tamentorum loco, haberi velim, insanus, qui a me aliter habitos
putet) Tu autor, Tu mihi hortator fuisti, lectione Tua liberalis-
sime adjuvisti, legenda suppeditasti, adeo ut Tuo consilio & au-
xilio tentandi perficiendique omnia ratio constaret. Ista tam
insignis voluntatis Tuæ abundantia hanc pietatem a me expres-
sit, ut Tua incolumitate læter tanto impensius, & collatam novi
muneris dignitatem expressioribus faustæ sortis ominibus profe-
quar, quanto copiosius Tuum in me ornando studium semper
extitit: turpe mihi futurum ratus, a quoquam observantiæ signi-
ficatione superari, qui meritorum a Te in me professorum mul-
titudine concedo nemini. Etsi autem summam debitorum in
me residere patiar, ingenua tamen professio efficiet, ut apud a-
lios non videar ingratus; Tibi enim me satis gratum probatu-
rus, imo cumulatissime satisfactorus sum, si eundem, quem Tibi
præfinivisti, & ad quem dicta factaque Tua collineant omnia,
scopum, nempe Dei gloriam, mihi propositum esse senseris.
Quod facio potissimum præcepto Tuo & exemplo. Vale VIR
SUMME & vive feliciter in seculi ornamentum! Scribebam
Jenæ Calend. Jan. MDC LXXIX.



Qk. 269. (2)

E P I S

V I

MAXIME REVERE

LEN

D O M

CASPAREM

S S. THEOL. D.

P.P. CEL

MVNERE HIS

INCIPIENTIS

FAVSTA

M. GODOFRE

LITTE

BIBLI
PONIC

e
0

M

A

